

disponit sufficienter moraliter ad augmentum morale gratiae, nisi ipsa dispositio moraliter augeatur: ergo pariformiter, si gratia dependet connaturaliter à dispositione physica, nequit connaturaliter physice augeri, nisi physice augeatur eius dispositio. Tum etiam: nam quia prima infusio gratiae dependet à connaturali eius dispositione physica, nequit primò infundi connaturaliter nisi iuxta quantitatem, & latitudinem illius, etò non concurrat efficienter physice: ergo idem dicendum est de augmento illius. Tum deinde: nam idem dicendum est de dispositione physica augmenti gratiae, ac de dispositione physica fidei in peccatore; sed non obstanti, quòd actus fidei non concurrat efficienter physice ad augmentum habitus fidei in peccatore, non augetur habitus nisi iuxta quantitatem physicam actus, vt docent aduersarij, nempe Suarez lib. 9. de Grat. & Coninch. disp. 17. ergo. Tum denique: nam dispositio physica, etò non concurrat efficienter physice ad introductionem formae, vt liquet in dispositionibus consequentibus formam naturalem, v. g. ignis, non tamen determinat vltimò subiectum ad eam, nisi dum est physice proportionata, ideoque nec efficienter, nec pure dispositive calor vt sex disponit vltimò ad formam ignis: ergo eodem modo discurrendum est de dispositione physica ad gratiam; sed actus remissus non determinat physice subiectum ad augmentum gratiae; alias in prima sui infusione posset infundi gratia vt octo, disponente actu remisso vt duo: ergo de materiali se habet quoad hoc concursus effectivus dispositionis ad formam.

195. Respondebis tertio cum Vazquez in hac 1. 2. disp. 220. cap. 9. quòd habitus naturalis intenditur etiam per actus remissos, quia per repetitionem illorum experimur habere maiorem facilitatem ad eos exercendos, in qua consistit maior intensio illius. Unde si de augmento habitus supernaturalis, & gratiae eodem modo theologizare debemus, vt diximus in nostra ratione, planè infertur actus remissos sufficienter disponere ad augmentum gratiae. Cui solutioni, & doctrinae subscribit Magist. Ferre, vt vidimus num. 189. illum fulciens nonnullis autoritatibus D. Thom. quas inter argumenta adducemus.

Sed hac evasio absurdior nobis videtur quam praecedentes: quia istae procedunt in suppositione (etsi falsa) quòd ad formas supernaturales non dantur dispositiones physicae, sed tantum morales. At solutio proximè insinuata supponit, gratiam, & augmentum illius non infundi nisi dependenter à dispositionibus physicis, & in hac suppositione obnoxia manet impugnatioibus supra adductis, & alijs. Proindeque:

Impugnatur primò: Nam iuxta D. Thom. gratia infunditur iuxta quantitatem dispositio-

nis physicae: ideoque licet in vno per iustificationem novam inveniatur plura merita revivificentia ex multitudine operum praecedentium, non infunditur per eam gratia nisi iuxta proportionem, & quantitatem dispositionis physicae praesentis: ergo multitudo actuum remissorum non est dispositio sufficiens ad augmentum physicum gratiae. Patet consequentia: nam sicut merita actuum remissorum solum remanent moraliter, & nullo modo physice iuxta dicta num. 147. ita iustificatio facit reviviscere merita mortificata per peccatum; & consequenter, si haec non disponunt sufficienter ad augendam gratiam physice iuxta valorem moralem illorum, nec merita remissa, quantumvis multiplicata, non sunt sufficientes dispositio ad augmentum physicum gratiae.

Secundò: Quia actus disponit physice subiectum in genere causae formalis physicae, communicando illi suum effectum formalem, licet comparative ad formam introducendam habeat tantum rationem causae dispositive; sed causa formalis nequit praestare maiorem effectum formalem in virtute actuum praecedentium eiusdem rationis: ergo actus remissi, quantumvis multiplicati, nequeunt sufficienter disponere ad augendam physice gratiam. Minor probatur tum quia causa efficiens nequit producere maiorem effectum, nisi in se physice augeatur: itaque calidum vt quatuor, licet associetur alijs calidis vt quatuor, nequit producere nisi calorem vt quatuor: ergo pariter causa formalis, v. g. actus charitatis vt quatuor, in virtute actuum praecedentium inferioris, aut eiusdem intentionis nequit praestare maiorem effectum formalem, nec disponere ad maiorem gratiam. Tum etiam: nam causa formalis non causat nisi per exhibitionem suae entitatis: ergo, nisi in se formaliter crescat, nequit communicare maiorem effectum formalem, seu disponere ad maiorem formam: & propterea constanter asseverant NN. Thomistae, intensiorem qualitatis non fieri per additionem gradus ad gradum eiusdem rationis, quibus sanior pars Philosophorum concedentium intensiorem qualitatis fieri per additionem gradus ad gradum subscribit; sed actus charitatis vt quatuor formaliter, & physice non crescit in virtute actuum praecedentium eiusdem, aut inferioris rationis: ergo nequit disponere ad gratiam (v. g.) vt octo, vel sex.

Tertio: Nam haec solutio non salvat, totum augmentum gratiae debitum actibus remissis statim conferri: ergo nullo modo est sustinenda. Antecedens probatur: quia potest contingere, quòd iuxta hunc modum dicendi sit necessaria collectio quatuor actuum, & quòd homo post elictos tres actus statim moriatur; sed tunc nullum augmentum statim conferatur: ergo non salvat augmentum gratiae actibus remissis debitum statim conferri.

Quar-

Quartò: Nam praedicta evasio, quoad omnia quae includit, opponitur expressè D. Thomae: ergo vel ex hoc praesè non est sustinenda. Antecedens probatur: tum quia habitus naturalis non augetur physice in virtute actuum remissorum, & vltimi eiusdem rationis, in quo virtualiter perseverant praecedentes, sed in virtute alterius perfectioris & intensioris, vt docet D. Thom. 2. 2. quaest. 24. art. 6. ad 2. his verbis:

In generatione virtutis acquisite non quilibet actus complet generationem virtutis, sed quilibet operatur ad eam, vt disponens; & vltimus, qui est perfectior agens in virtute praecedentium reducit eam in actum. Id ipsum tradit hac 1. 2. quaest. 52. art. 3. in corp. vbi addit sic concludens: *Si vero intensio actus proportionabiliter deficiat ab intensione habitus, talis actus non disponit ad augendam habitum, sed magis ad diminutionem illius.* Tum etiam: nam locis proximè relatis comparat intensiorem habitus naturalis, & supernaturalis cum augmento corporali animalium; sed augmentum animalium non fit, nisi alimentum physice sit maius substantia perditur per calorem naturalem: ergo nec gratia potest augeri connaturaliter, nisi dispositio physica sit physice intensior. Unde loco citato ex 2. 2. in corp. sic concludit: *Non quilibet actu charitatis augetur charitas; sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex vno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad augendam secundum charitatem, & habilitate crescente homo prorumpit in actum ferventioris dilectionis, quousque conetur ad charitatis profectum; & tunc charitas augetur in actu.* Quo quid expressius contra praetertam solutionem?

Quintò, & vltimò impugnatur solutio ad hominem contra Ferre, qui 2. 2. quaest. 17. §. 3. num. 25. refellens opinionem asserentium habitus acquisitos actibus remissis augeri, vt falsissimam; & à bona Philosophia extraneam, hac addit: *Neque huic doctrina, opponitur, quòd per actus remissos experimur maiorem promptitudinem ad operandum. Quia illa maior promptitudo, cum non sit ad operandum actus intensiores, sed tantum remissos, nequit arguere habitus praesentis intensiorem, sed ad summum maiorem firmitudinem in subiecto, vel conservationem in subiecto. Nec enim à posteriori possumus colligere, habitum in nobis intendi nisi ex inclinatione ipsius ad actus intensos: hanc autem non experitur quis, etò se exerceat in actibus remissis: non enim asseverari potest per illos physice augeri habitus; sed iuxta D. Thom. augmentum gratiae assimilatur quoad hoc augmento habitus acquisiti, & nulla est auctoritas vel Scripturae, vel Conciliorum, vel SS. PP. oppositum persuadens. Maneat ergo, quòd gratia non augetur statim*

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

secundum augmentum debitum actibus remissis.

§. III.

Corollaria praecedentis doctrinae, quibus rejiciuntur alij modi dicendi, & proprius stabilitur.

196

EX dictis §. praec. facile rejiciuntur modi dicendi aliorum, enumerati, num. 189. Inprimis rejicitur Aranzo, asserens iustum disponi per actum ferventiorum ad augmentum gratiae debitum actibus remissis. Tum quia non servatur debita proportio inter augmentum gratiae, & dispositionem eius physicam. Quod vt evidenter fiat: supponamus, quòd quis, habens gratiam vt quatuor, elicit duos actus charitatis vt duo, & postea elicit actum charitatis vt sex; tunc gratia non augetur nisi vt sex, additis supra gratiam praesistentem tantum duobus gradibus; sed isti duo gradus non sunt premium duorum actuum remissorum; immo nec est premium aequatum ipsius actus vt sex, quia iste non solum est meritorius augmenti gratiae ad duos gradus, secundum quos excedit, sed etiam secundum quatuor gradus, secundum quos non excedit gratiam praesistentem: ergo augmentum gratiae actibus remissis debitum non datur, quando elicitur actus inferior gratiae praesistenti.

Declaratur hoc: Quia si totum augmentum gratiae debitum actibus remissis daretur statim, dum elicitur actus intensior, sequeretur, quòd in praedicto casu augetur gratia vt quatuordecim: siquidem gratia iam supponitur cum quatuor gradibus, quatuor alij gradus adderentur ratione duorum actuum remissorum vt duo, & alij sex ratione actus intensi vt sex; sed praedictus gradus vt quatuordecim est omnino improporcionatus physice cum dispositione physica: ergo vel dicendum est, quòd gratia augetur abique dispositione physica; vel asserendum, quòd non conferatur augmentum gratiae actibus remissis debitum, quando elicitur actus intensior.

Tum etiam: Nam ex hoc modo dicendi vicerius sequeretur, quòd ille, qui elicit ante lapsum viginti actus vt quatuor, & post lapsum elicit actum intensum vt sex, resurget cum maiori gratia in esse physico, quam ille qui in iustificatione eliceret actum intensum vt viginti; hoc est manifestè contra D. Thom. vt vidimus num. 192. ergo, dum elicitur aliquis actus intensior, non conferatur statim totum augmentum debitum actibus remissis. Et si non conferatur totum, etiam nullum: quia non salvetur, quòd totum meritum in hac vita remuneratum relinquatur.

Tum denique: Quia potest contingere, VvV quòd

quod post actum ferventissimum charitatis iustus eliciat plures actus remissos, & statim moriatur: ergo isti actus in hac vita irremunerati manebunt: ergo iste modus dicendi non sufficienter salvat, quomodo augmentum gratiae debent actibus remissis conferari: opus ergo est ad alium modum discurrere pervenire.

197 Deinde rejiciuntur alij duo modi dicendi recurrentes ad actus æquè intensos cum gratia præexistenti, quam defendit Granad. Et ad duplicatam augmentum gratia, ut octo v. g. ad quod disponit actus in octo virtute sui, & virtute actuum remissorum præcedentium, quem defendit Lisbonensis. Tum quia secundum neutrum modum datur dispositio physica proportionata cum augmento gratia. Tum etiam: quia potest contingere, quod plura merita maneat in hac vita sine gratia eis debita, vel quia iustus non elicit actus æquè intensos, vel quia valor actuum remissorum excedat incomparabiliter actum intensum ut octo. Tum denique: quia idem foret dicendum de reviviscitiam meritorum, cuius opus positum docet D. Thom.

198 Tandem rejicitur modus dicendi aliorum, recurrentium ad collationem augmenti gratia duplici titulo, quem tuetur Bañez. Tum quia hic modus satis impugnatus manet à num. 157. Tum quia Bañez supponit esse necessarium actum intensiorem, ut defecto augmentum gratia conferatur ut debitum duplici titulo, nempe & intuitu actus intensioris, & intuitu actuum remissorum, itaut si prædictus modus intensior non præcedat, merita remissa manebunt in perpetuum sine præmio essentiali illis debito: hoc non potest admitti, & quia videtur opponi sacrae scripturae, Concilij, & SS. PP. & quia est contra rationem meriti de condigno, quod infallibiliter consequitur suum præmium, nisi impediatur per peccatum: ergo.

199 Ex quibus omnibus inferitur primò, augmentum gratia actibus remissis correspondens debere conferri in altera vita, vel in gloria, vel in purgatorio. Ita colligitur ex impugnatione aliorum modorum recurrentium ad varias dispositiones huius vitæ. Colligitur etiam: quia iuxta plures illorum remanent in hac vita aliquod meritum irremuneratum, ut vidimus inter impugnandum. Colligitur tandem ex D. Thom. tribus locis relatis n. 192. necnon in Addit. ad 3. part. quæst. 93. art. 3. ubi distinguit diversas mansiones physicas gratia in via, & in patria, licet mansiones gloriae correspondeant mansionibus meriti: ergo supponit esse diversum augmentum gratia in patria, & in via: ergo aliquod augmentum gratia conferatur in patria pro aliquo merito, quod non conferatur in via.

200 Præter hunc modum potest alter sustineri, quem docet Serra in suo perdocto tract.

de Merit. art. 8. n. 1320. §. His ergo omissis, & nobis non displicet, nempe quod si iustus eliciat actus intensiores subitos, vel semiplenè deliberatos, & tota eorum intentio totam latitudinem actuum remissorum adæquet, disponitur ad recipiendum in via, & statim totum augmentum gratia modum præmij. Si verò contingat, quod non periclitat prædictos actus intensiores subitos, vel semiplenè deliberatos, aut non eliciat tot, quot sufficienter ad disponendum physice subiectum ad recipiendum totum augmentum debitum actibus remissis præcedentibus, tunc recurrendum est ad modum num. præc. adductum.

Quoad primam partem probatur: Nam prædicti actus intensiores subiti, aut semiplenè deliberati ex una parte possunt esse dispositiones physice ad augmentum gratia; & ex alia non sunt meritorij augmenti gratia, sicut nec augmenti gloria: ergo ita disponere possunt ad augmentum gratia, quod sint præmium actuum remissorum præcedentium. Patet consequentia: nam isti actus remissi relinquunt ius ad augmentum gratia; & quandoque conferatur, debet correspondere eis ut præmium, dummodò non supponat aliud meritum præmiandum. Antecedens verò quoad primam partem consistit ex solutione nonnullarum obiectionum. Et quoad secundam facile ostenditur: nam ad meritum vitæ æternæ requiritur plena libertas: tum quia bonum simpliciter, qualis est vita æterna, petit meritum simpliciter, quale est opus perfectè liberum cum cæteris conditionibus. Tum quia ad peccatum mortale, & ad demeritum vitæ æternæ requiritur perfectè libertas, licet ad peccatum veniale, quod solum demeretur poenana temporalem, sufficiat semiplena libertas: ergo etiam ad meritum vitæ æternæ requiritur plena, & perfectè deliberatio: ergo motus charitatis subiti, aut semiplenè liberi non sunt meritorij vitæ æternæ.

Quoad secundam partem potest ostendi prædicta resolutio ex hucusque dictis, & succinctè insinuat num. præc. Quibus addimus, quod omne meritum de condigno vitæ æternæ infallibiliter consequitur præmium, sub conditione quod iustus in gratia deccadat, ut docet Trid. sess. 6. can. 32. ergo sollicitat efficaciter voluntatem divinam ad conferendam dispositionem physicam ad augmentum gratia, quod de condigno merentur actus remissi, quia sine tali dispositione gratia nequit connaturaliter augeri: sed nullus actus quantumvis intensus in via est sufficiens dispositio augmenti gratia correspondentis actibus remissis præter actus intensiores subitos, aut semiplenè liberos, siquidem alij actus intensiores perfectè liberi in via adhuc non disponunt ad totum præmium, quod eis debetur: ergo si non adsint in via prædicti actus semiplenè liberi, aut subiti, infallibiliter Deus conferet auxilium post separationem animæ.

me ad eliciendum actum intensissimum correspondentem augmento gratia, debito omni merito quod iustus habuit in via, & perseverat, vel reviviscit cum gratia.

201 Obijcies tamen primò contra utrumque modum dicendi: Nam actus charitatis in gloria supponit visionem beatam, & gratiam cum toto augmento debito merito iusti: siquidem in primo instanti glorificationis conferatur totum præmium essentialiale, & in illo instanti actus charitatis regularatur visione beata: ergo nequit disponere physice ad augmentum gratia, & gloria in primo instanti glorificationis.

Secundò: Nam ut adultus disponatur ad primam gratiam ex opere operantis, requiritur actus charitatis perfectè liber, ut docet D. Thom. quæst. 28. de Veritate art. 3. præsertim 6. & in hæc 1. 2. quæst. 113. art. 3. & nos diximus disp. præc. num. 76. sed dispositio, quæ requiritur ad primam receptionem formæ, eadem cum maiori intensione requiritur ad augmentum illius: ergo nec actus charitatis in patria, qui est necessarius, nec actus charitatis in via subiti, aut semiplenè deliberati sunt dispositiones physice ad augmentum gratia.

Tertiò: Nam motus subiti, vel non perfectè liberi non possunt procedere à gratia, & habitu charitatis: ergo nec possunt disponere ad augmentum gratia. Patet consequentia: nam actus, cui repugnat procedere ab habitu, nequit disponere ad augmentum illius, cum actus disponat ad hoc, ut absolute, vel faciliè ab habitu procedat. Antecedens verò probatur: nam habitus non est principium actus necessarij, sed liberi, ideoque licet homo in repentinis operetur secundam habitum, non tamen ex habitu, ut docet D. Thom. quæst. 24. de Verit. art. 12. & 1. 2. quæst. 78. art. 2. & tradunt NN. Salm. in Comment. ad dictum art. ergo motus subiti, & non perfectè liberi non procedunt à gratia, & habitu charitatis.

Quartò: Nam in via omnis actus charitatis debet regulari per actum fidei: sed actus fidei nequit esse indeliberatus: nam ut inquit D. August. tract. 16. in Ioan. *Credere non potest nisi volens*: ergo nec actus charitatis potest esse indeliberatus.

Ad primam objectionem respondetur, quod actus charitatis in ingressu gloria ita supponit augmentum gratia, & gloria, quod etiam præcedat in genere causæ dispositivæ, in quo nullum datur inconveniens. Immo id omnino tenendum est, ut salvetur connaturalis receptio formæ, vel augmenti illius: ut liquet in dispositionibus consequentibus formam ignis, & prima infusione gratia, & tandem in primo actu charitatis Christi Domini, qui iustificatus fuit more adultorum, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 34. art. 3. & cum Christus Dominus fuerit beatus.

tus in primo instanti suæ conceptionis, ut docet D. Thom. eadem 3. part. quæst. 7. art. 3. & 4. opus fuit, quod ille actus charitatis regularetur visione beata, & simili disponeret ad totum augmentum gratia, & gloria.

Ad secundam respondetur concedendo maiorem, & minorem quoad augmentum dispositionis: sed negando illam quoad modum libertatis. Et ratio discriminis est: quia actus charitatis sive liber, sive necessarius est eiusdem speciei, & hac ratione sicut prædictus actus requiritur ut dispositio ad primam, & connaturalem infusionem gratia, ita maior amor requiritur ad eius augmentum. Cæterum quoad modum libertatis non requiritur similis proportio in dispositione physica primæ gratia, ac in dispositione physica augmenti illius: quia homo ante iustificationem supponitur à Deo averfus per peccatum perfectè liberum, ideoque opus est ad sui iustificationem connaturalem, quod perfectè liberè se avertat à peccato, & perfectè liberè se disponat ad eam, liberè consentiendo gratia Dei, ut ait Frid. less. 6. cap. 5. At quia prædicta averfus libera à Deo non reperitur, quando gratia agenda est, non requiritur, quod dispositio ad illius augmentum sit æquè libera, ac dispositio ad primam gratiam; sed sufficit, quod absolute sit intensior gratia præexistente, & quod præcesserit dispositio moralis & meritoria, in qua indirectè fuit volita prædicta dispositio indeliberata, sicut in ea, seu meritis præcedentibus est volita dispositio vitæ gloriae.

Ad tertiam facile respondetur, quod doctrina in ea contenta licet teneat in actibus subitis & indeliberatis ordinis naturalis, secus verò in actibus supernaturalibus: quia habitus in ordine ad eos habet quodammodo rationem potentia, & propterea amor beatificus, etsi necessarius, petit procedere ab habitu charitatis; & gratia. Ad quartam respondetur negando minorem. Et ad probationem ibi inclusam, & desumptam ex D. August. dic. quod loquitur non præcisè de volitione libera, sed etiam de subita, & necessaria. Pro quo videantur NN. Salm. tract. 17. disp. 5. num. 5.

202 Inferitur secundò, totum augmentum gratia correspondens meritis mortificatis per peccatum non conferri nisi medijs actibus charitatis subitis, & semiplenè liberis, vel in ingressu purgatorij, aut gloria; licet in esse gratia totum reviviscat in primo instanti iustificationis. Hæc ultima pars deducitur contra Gonet, num. 189. relatum, afferentem tota merita mortificata per peccatum non reviviscere adhuc moraliter quoad præmium essentialiale in iustificatione, nec in ingressu gloria conferri totum augmentum physicum gratia correspondens omnibus meritis mortificatis per peccatum, sed tantum illud augmentum physicum gratia confer-

ti ingressu gloriæ, quod correspondet meritis mortificatis, & reviviscitibus iuxta quantitatem physicam dispositionis, quam homo habet in instanti iustificationis.

Sed quomodo fallum sit hoc, suadet: nam Scriptura, Tridentinum, SS. PP. & præcipue D. Thom. absque vlla restrictione docent, merita mortificata per peccatum vivificari, & reviviscere: ex quo inferunt Theologi ea reviviscere quoad præmium essentiale, & non solum quoad præmium accidentale: ergo absque vilo fundamento, & omnino voluntarie asseritur, quod tantum reviviscunt moraliter iuxta quantitatem dispositionis physicæ in instanti iustificationis habitæ.

Et confirmatur: Nam minima gratia ex se est sufficiens, ut omnia merita mortificata per peccatum, quantumvis intensissima, reviviscant moraliter: ergo nisi addit aliquod testimonium Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. restringens eorum reviviscitiam moralem ad quantitatem physicam gratiæ, & dispositionis, absque vilo fundamento asseritur quædam reviviscere, & quædam non reviviscere. Antecedens probatur: nam gratia ut duo v. c. sufficiens est in iusto, ut merita remissa usque ad centum, & non mortificata moraliter perseverent in ea, ut docet ipse Gonet tract. de Charit. disp. 10. num. 140. ergo minima gratia ex se est etiam sufficiens, ut omnia merita mortificata per peccatum reviviscant.

Confirmatur amplius: Nam supponamus, quod vnus iustus ante peccatum elicit actum charitatis ut centum, & alius elicit quatuor actus charitatis ut duo: iuxta modum dicendi Gonet inferunt, quod vtroque peccante, & rediente ad iustitiam ut duo, secundus habeat in esse morali gratiam ut decem, & primus gratiam ut quatuor, ut recolenti assertionem illius adductam 3. part. disp. 6. num. 42. constabit; sed hoc non est admittendum: tum quia est voluntarium: tum etiam, quia meritum crescens ex multiplicatione actuum æquè intensive crescit, ac si per vnum actum indivisibilem resularet: ut liquet in meritis remisissis, & non mortificatis, quibus correspondere potest æqualis intensio gloriæ, ac vnico actuali intensiori: ergo omnino falsum est ille modus, quo Gonet defendit reviviscitiam inadæquatam merito.

Ex quo confirmatur, & resellitur modus dicendi Gonet: Nam propterea non omnia merita mortificata per peccatum reviviscunt, quia contritio non solum est dispositio physica ad gratiam in esse physico, sed etiam est dispositio moralis ad reviviscitiam gratiæ in esse gratiæ, & meritum, quæ per peccatum sunt mortificata; sed hæc ratio est nulla: ergo vel omnia reviviscunt, vel nulla. Minor probatur: tum quia quilibet actus disponens ad confer-

vationem gratiæ est sufficiens dispositio moralis ad quamlibet intensiorem ipsius in esse gratiæ; ut liquet in omnibus meritis remisissis, & non mortificatis, & non negat Gonet. Tum etiam: nam contritio ut vnus iuxta Gonet est dispositio moralis sufficiens ad intensiorem gratiæ ut centum in esse gratiæ, ut si ante peccatum homo habuit centum opera meritoria ut vnus, actu octavo ergo gratia reviviscens in esse gratiæ non debet proportionari iuxta mensuram dispositionis moralis. Patet consequentia: quia illa intensio gratiæ ut centum in esse gratiæ non sit, adhuc in esse morali, per additionem gradus ad gradum eiusdem rationis, cum æquivaleret actui indivisibili physico valde intenso, & non extenso & correspondeat ei augmentum physicum gratiæ, & gloriæ secundum gradum perfectiorem, & vniuersiorem.

Prima pars corollarij facile probatur ex dictis: Nam gratia nec infunditur, nec augetur physice, nisi iuxta quantitatem physicam dispositionis; sed iustus nequit elicere dispositionem physicam competentem meritis mortificatis, nisi in via elicit actus charitatis intensiores subitios, & semiplene liberos, & defectu illam elicit in purgatorio, & in ingressu gloriæ: ergo totum augmentum physicum gratiæ debitum meritis mortificatis non confertur physice nisi tribus prædictis modis. Minor quoad primam partem constat ex dictis in hoc dub. & num. 200. Et quoad tertiam, seu quoad ingressum gloriæ ex dictis num. 199. & eodem num. 200. Et quoad secundam, id est quoad statum purgatorii, ex dictis disp. præc. num. 119. vbi diximus ex Div. Thom. animam in purgatorio elicere actum fervidum charitatis, quo delentur venialia in hac vita non dimissa, & forte contingit, quod æquivaleret in intensione omnibus meritis remisissis. Si verò talis actus adeo intensus in purgatorio non eliciatur, recurrendum est ad ingressum gloriæ.

§. IV.

Argumenta contra secundam, & præcipuam resolutionem.

203 **A**rguitur primò authoritate Trident. sess. 6. cap. 10. & can. 24. vbi determinat, gratiam seu nostram iustitiam per bona opera augeri absque restrictione ad sola intensiora, quæ propositio Concilij, quia doctrinalis est, æquivalere vniuersali: quo modo loquendi in alijs testimonijs vsi sumus ad probandum dub. 9. iustum mereri de condigno augmentum gratiæ non solum per actus intensiores, sed etiam per actus remisissos: ergo iuxta Concil. iustitia nostra, seu gratia statim augetur augmento debito actui remisso.

Et confirmatur ex D. Thom. tum in 1. dist.

dist. 17. quest. 2. art. 3. in corp. vbi ait: *Quando actus charitatis procedit ex tota virtute habentis, & quantum ad virtutem nature, & quantum ad virtutem habitus infusi, tunc vnus actus disponit, & meretur augmentum charitatis, ut statim fiat; sed actus procedens secundum totam virtutem habitus non est intensior illo, sed æquè intensus: ergo, ut augetur physice gratia, non requiritur actus intensior. Idem tradit in 2. dist. 27. quest. 1. art. 5. ad 2. referens se ad dicta loco supra allegato.*

Tum etiam ex D. Thom. tam in loco citato, quam in 2. 2. quest. 24. art. 6. ad 2. vbi comparat augmentum gratiæ cum exemplo guttarum cavantium lapidem; sed licet omnes guttæ sint eiusdem rationis, vltima in virtute præcedentium cavat lapidem: ergo ex mente Div. Thom. quamvis omnes actus charitatis sint eiusdem rationis, poterit vltimus in virtute præcedentium physice disponere ad hoc, ut statim conferatur augmentum gratiæ. Et propterea loco citato ex 1. Sent. docet, quod vnus actus charitatis potest disponere in virtute præcedentium.

Ad argument. respondetur, quod per quilibet opera meritoria augetur charitas, sed Concilium non determinat, quando augmentum gratiæ eis correspondens, conferendum sit: quin potius docet sess. 6. cap. 7. infundi, & augeri *secundum proportionem vnusquisqueque dispositionem.* Adde, quod ad salvandam doctrinam Concilij satis est, quod iustus per omnia opera bona statim crescat moraliter, id est quod statim augetur ius ad augmentum physicum conferendum, vel statim, si addit actus intensior, vel in alio tempore, in quo infallibiliter aderit.

Ad confirmationem respondetur, D. Thom. aperte stare pro nostra sententia, ut vidimus numero 192. Unde sensus illius in primo testimonio non debet esse, quod actus eiusdem intentionis cum habitu præexistenti, nec prædictus actus, aut alius remisissos in virtute aliorum præcedentium sit dispositio vltima ad augendum physice gratiam, sed vt inquit loco relato ex 2. 2. *Quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex vno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad augendum secundum charitatem: & habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorum dilectionis, quosque conetur ad charitatis profectum.* Quo testimonio vel exponenda sunt alia ex alijs locis adducta (vel adducenda) vel corrigenda: quia est deductum ex propria sede, in qua absolute, & vltimo tractat præsentem materiam. Exemplum guttarum potest applicari actibus charitatis, quibus gratia augetur quoad partem: nempe quod sicut quilibet gutta aquæ humectat, & molliciat lapidem, & hac ratione faciliat excavationem lapidis, ita quilibet

actus charitatis faciliat ad actum ferventiorum. Non tamen potest applicari quoad totum: quia gutta relinquit aliquid, vt in virtute eius vltima gutta, etsi eiusdem rationis, possit producere excavationem. Cæterum actus remisissos non relinquit sui virtutem, & propterea alter actus charitatis eiusdem rationis nequit in virtute illius vltimo disponere ad augendam gratiam.

204 **A**rguitur secundò: Nam gratia quolibet actu meritorio adhuc remisso statim augetur moraliter: ergo etiam physice. Probatur consequentia: tum quia esse physicum est fundamentum, & radix esse moralis. Tum quia, si augetur statim moraliter, etiam statim crescit ius ad maiorem gloriam, reddiditque hominem Deo magis acceptum; sed gratia secundum suum esse physicum præstat hoc effectus: ergo si gratia actu meritorio remisso augetur statim moraliter, etiam statim augetur physice. Adde: Nam oportet esse aliquando æqualitatem in gratia secundum esse physicum, & secundum esse morale; sed hæc non daretur vnquam, nisi statim gratia augetur physice, sicut augetur moraliter ergo.

Et confirmatur: Nam si gratia crescit moraliter, & non physice, sequitur, quod iustus tantum extrinsece acceptetur ad maiorem gloriam, sicut si acceptaretur ad gloriam absque gratia physica, acceptaretur tantum extrinsece ad eam; hoc videtur contra Trident. sess. 6. cap. 7. & c. 11: vt vidimus tract. præc. disp. 2. n. 2. ergo sicut gratia in esse morali crescit statim actibus remisissis, ita physice.

Ad argumentum respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem dic, quod etiam in Christo esse physicum est fundamentum, & radix esse moralis, & tamen gratia in esse morali est simpliciter infinita, & in esse physico simpliciter finita. Pariter ergo licet nostra gratia secundum suum esse physicum sit fundamentum, & radix esse moralis, stabit optimè quod crescat in esse morali, & non in esse physico. Et ratio est eadem vtrouique: quia esse morale, & esse physicum tam in Christo, quam in nobis desumitur ex diversis capitibus, & ex vno potest crescere, & non ex alio: v. g. esse morale tam gratiæ Christi, quam meritum eius sumitur per relationem ad personam divinam; & infinitam totam se humiliantem, & propterea esse morale evadit simpliciter infinitum; sed esse physicum desumitur per ordinem ad subiectum, siue causam physicam, quæ finita sunt, ideoque esse physicum est finitum. Idem contingit in gratia nostra: nam esse physicum sumitur per connotationem ad dispositionem physicam, quæ si physice non crescat, nec gratia debet physice crescere; at esse morale desumitur etiam ab omnibus actibus meritorijs, qui præcedunt, & concomitantur, quorum valor potest crescere supra

quantitatem physicam dispositionis, & hac ratione crescit gratia in esse morali, & non in esse physico. ¶ Per quod constat ad secundam probationem: nam gratia habet duplex ius ad gloriam: aliud desumptum ex sua entitate physica, & hoc est physicum, aliud morale resultans ex omnibus actibus meritorijs ex quibus vnum potest crescere, quin augeatur aliud: & ita ius resultans ex meritis potest augeti, quin augeatur ius physicum gratiae, & ratione illius potest homo reddi acceptus ad maiorem gloriam, quin reddatur per aliud, vt liquet in exemplo Christi Domini. Ad additamentum satis constat ex dictis nam. 200. & nam. 202. vbi assignantur tempora, in quibus esse morale, & physicum gratiae seruant aequalitatem.

Ad confirmationem respondetur primò concedendo antecedens: in sensu tamen longè diverso ab eo qui in ea intenditur: nam licet homo absque intentione physica gratiae maneat extrinsecè acceptus ad maiorem gloriam, non propterea concedendum est acceptari ad illam per solum favorem extrinsecam, quia praedicta acceptatio fit dependenter à meritis condignis cum illa quae in iusto exercet praedictè suum ius pro tempore proportionato. Res aliter se habent prima acceptatione ad gloriam, si nulla gratia physice existeret, vt ex se liquet. ¶ Respondetur secundò, praedictam acceptationem ad maiorem gloriam non esse pure extrinsecam: quia gratia intrinsecè crescit in esse gratiae, seu moraliter in vi meritorum praecedentium ius suum in ea moraliter relinquendum, licet non crescat in esse physico. Et illustrari valet exemplo meritorum Christi Domini, & gratiae illius, quod quilibet potest expendere.

205 Arguitur tertio: De ratione meriti de condigno est, quòd infallibiliter, & statim consequatur suum praemium, dummodò non fit incompossibile cum merito (vt accidit in gloria) & non adde obex peccati, vt dicit Concilium: ergo augmentum gratiae correspondens actibus remissis debet statim conferri. Patet consequentia: quia nulla ex praedictis conditionibus adest. Antecedens verò probatur: nam actus charitatis vt sex non est minus efficax, & meritorius in habente charitatem vt octo, quam actus charitatis vt quatuor in habente gratiam vt duo; sed iste actus infallibiliter consequitur suum praemium: ergo etiam ille.

Et confirmatur. Nam homo per actus remissos vel meretur tantum augmentum gratiae, vel etiam actum dispositionem ad illud: Si dicatur primum, nullum est fundamentum ad asserendum, quòd iustus infallibiliter disponatur in ingressu gloriae ad recipiendum augmentum gratiae meritis remissis debitum. Si dicatur secundum: ergo nulla est ratio, cur talis dispositio differat ad ingressum gloriae, & non detur in hac vita; igitur, siue fundamento asseritur,

praedictum augmentum conferri in ingressu gloriae, & non in hac vita.

Ad argumentum respondetur negando antecedens: Quia vltra duas illas condiciones requiritur tertia, nempe quòd detur dispositio physica competens, & proportionata cum praemio, vt ait Concilium: actus verò remissus non est dispositio physica proportionata cum augmento gratiae, & ex defectu huius conditionis non statim debet conferri. ¶ Ad probationem dic, quòd vterque actus est efficax: cum hoc tamen discrimine, quòd actus vt quatuor in habente charitatem vt duo non est efficax pro tempore praesenti ad totum augmentum gratiae ei debitum, sed praesens ad addendos duos gradus, quia non est sufficiens dispositio physica ad gratiam vt sex, quae debetur illi actui, & ad addendos alios duos gradus solum est efficax pro tempore futuro. Sed actus charitatis vt sex in habente gratiam vt octo, quamvis sit magis meritorius, & efficax ad maius augmentum gratiae pro tempore futuro, non tamen est efficax ad augendum vllam gradum pro tempore praesenti ex defectu dispositionis physice proportionatae. Et ratio omnium est: quia iustus meretur augmentum gratiae vt conferendum modo connaturali, quo pacto nequit conferri, nisi dum ponitur dispositio aequalis, & non meritoria. ¶ Per quod constat ad confirmationem nam iustus meretur indirectè dispositionem ad augmentum gratiae; & cum vnum meritum nequeat esse praemium alterius meriti propter rationem insinuatam num. 174. §. Adde, inde est, quòd dispositio ad augmentum gratiae conferendam, & quae cadit sub meritis remissis, debeat esse non meritoria, & quòd detur vel in purgatorio, vel in ingressu gloriae, vel in alio tempore huius vitae, videlicet dum elicit actus intensiores non deliberos.

206 Arguitur vltimò: Quia si homo in hac vita non se disponeret per actus remissos ad recipiendam gratiam correspondentem illis, & meritis mortificatis, sequeretur, quòd nec in alia se disponat: ergo asserendum est, quòd in hac vita se disponit; vel concedendum, quòd merita mortificata non reuiviscunt, & merita remissa non merentur aliquod augmentum gratiae, & gloriae. Antecedens probatur: tum quia tempus meriti, & dispositionis solum est tempus vitae. Tum etiam, quia incredibile videtur, quòd Elias, qui plusquam annum bis millesimum in gratia vixit, & alios plurimos vixit, & meretur praesens per actus aequè intensos, solo vno actu ita intensissime diligat, quòd se disponat vltimò ad totum augmentum debitum tantis meritis.

Et confirmatur ex D. Thom. 3. part. quæst. 89. art. 5. ad 3. adducto à Bañez pro sua sententia, vbi ait: *Ille, qui per penitentiam resurgit in maiori charitate, consequitur quidem*

dem praemium essentiale secundum quantitatem charitatis, in qua invenitur: habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quae in secunda fecit: quod pertinet ad praemium accidentale: ergo nec merita mortificata (infern Bañez) reuiviscunt quoad augmentum gratiae, nec opera remissa merentur illud augmentum.

Ad argumentum respondetur negando sequelam. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd licet futura vita non sit tempus meriti, est tamen tempus dispositionis sufficientis ad totum praemium essentiale: quia talis dispositio cadit saltem indirectè sub toto merito vitae. Unde vel negandum est, tale meritum consequi infallibiliter suum praemium; vel concedendum est, iustum elicere in patria actum charitatis adeo intentum, vt correspondeat ad quate omni merito, & disponat ad praemium directum ipsi debitum. ¶ Per quod constat ad secundam probationem: Nam semel concessio, quòd Elias est in statu merendi, & meretur per actus non intensiores, necessàriò concedendum est, quòd elicit actum intensissimum charitatis in patria, qui simul sit praemium indirectum totius sui meriti, & dispositio physica ad totum augmentum gratiae aequale cum tota intentione gloriae, quam meretur.

Ad confirmationem (quae directè non militat contra secundam resolutionem, sed contra primam, & contra dicta dub. 9.) Respondetur, D. Thom. in illo testimonio solum docere, quòd homo consequitur praemium essentiale secundum mensuram gratiae, in qua invenitur, non solum in instanti, in quo resurgit à peccato, aliàs eliciens postea actum charitatis intensiorem, non consequeretur maius praemium essentiale, quòd nec ipse Bañez docet, sed etiam in vltima duratione vitae secundum mensuram gratiae in esse gratiae, necnon in ingressu gloriae secundum mensuram gratiae in esse physico, quae aequalis est cum quantitate gratiae in esse gratiae habita in vltima duratione vitae. Nec huius expositioni obest, quòd statim addit, nempe quòd de operibus in prima charitate factis habebit maius praemium accidentale, quam de operibus, quae in secunda charitate fiunt. Quia in his tantum vult statuere quoddam discrimen inter praemium accidentale, & essentiale, ita ut praemium essentiale in sui intentione non dependeat ab operibus factis in hoc, vel illo statu, scilicet innocentiae, vel penitentiae, sed praesens iuxta mensuram charitatis, in qua invenitur: sed praemium accidentale dependet etiam ex alijs circumstantijs: ideoque de operibus in statu innocentiae factis habebit, cæteris paribus, maius praemium accidentale, quam de operibus in statu penitentiae elicijs.

* * *

Incidentis dubioli resolutio.

207 **D**Ubitabis tamen pro complemento huius rei: an in iusto actus aliarum virtutum possint esse sufficientes dispositio physica ad hoc, vt statim augeatur physice gratia? ¶ Et ratio dubitandi est: nam potest contingere, quòd iustus ante omnem actum formalem charitatis eliciat actum temperantiae infusae intensiorem gratia, vt si habeat gratiam vt duos, & eliciat praedictum actum intensum vt decem; vel si habens gratiam vt duo, & eliciens actum charitatis vt duo, eliciat actum temperantiae vt decem imperatum à praedicto actu charitatis: tunc enim meretur augmentum gratiae per illum actum temperantiae, vt supponimus ex dictis dub. 5. ergo qua parte est intensior gratia, est dispositio physica ad statim augendam gratiam.

Quae ratio potest confirmari: Nam praedictus actus potest ex se esse vltima dispositio ad primam infusionem gratiae: ergo si est intensior gratia praesistenti, potest etiam esse vltima dispositio ad augmentum illius. Consequentia patet. Et antecedens probatur: nam praesens actu charitatis, vel eo non existenti, actus temperantiae infusae in iusto est informatus charitate est meritorius vitae aeternae: ergo virtualiter actus charitatis: ergo hoc modo sumptus est vltima dispositio ad primam infusionem gratiae. Probatur consequentia: nam ille actus est vltima dispositio ad gratiam, qui necessàriò connectitur cum ea; sed actus temperantiae infusae praedicto modo acceptus est huiusmodi: ergo est vltima dispositio ad gratiae infusionem.

208 His non obstantibus, respondetur negativè cum Arauco 2. 2. quæst. 24. art. 6. dub. 4. conc. 3. ration. 1. & NN. Salm. tract. 19. disp. 5. à num. 226. Et quoad actus non intensiores caret omni difficultate, si vera sunt, quae hucusque diximus. Quoad actus temperantiae infusae (v. g.) intensiores gratia praesistenti, probatur opposita ratione: Nam actus temperantiae infusae nequit esse vltima & proxima dispositio ad primam gratiae infusionem connaturaliter faciendam: ergo nec potest esse vltima & proxima dispositio ad augmentum gratiae connaturaliter infundendam. Antecedens probatur primò ex Trident. sess. 6. cap. 6. vbi ait: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* Quibus in verbis ad dispositionem vltimam, & proximam gratiae petit Concilium actum formalem fidei, & actum formalem charitatis: idemque apertè innuit can. 3. ergo actus temperantiae infusae non est dispositio vltima & proxima gratiae. Secundò: Nam ad recipiendam connaturali-

raliter formam aliquam requiritur connaturalis, & perfectior eius dispositio; atqui connaturalis, & perfectior dispositio gratiae est actus formalis charitatis: ergo actus temperantiae infusa nequit esse vltima & proxima dispositio ad connaturalem gratiae infusionem. *Tertio*: De ratione vltimae, & proxima dispositionis connaturalis gratiae est determinare vltimam, & perfectam subiectum ad illius participationem; sed hoc est proprium formalis dilectionis Dei super omnia: ergo. *Quarto*: Nam dispositio vltima, proxima, & connaturalior gratiae solum est, quae iuxta providentiam ordinariam, & extra sacramentum ad eam vltimam disponit; sed secundum providentiam ordinariam gratia non infunditur extra sacramentum, nisi adit actus formalis charitatis: & dummodò iste adit, & nullus alius virtutis moralis infusa, gratia connaturalissimè infunditur: ergo solus ille est dispositio proxima & vltima gratiae.

Et confirmatur: Nam ex opposito modo dicendi sequeretur, actum temperantiae naturalis, si habet modum charitatis, esse vltimam, & proximam dispositionem ad connaturalem receptionem gratiae, & augmenti illius; siquidem in tali actu reperiuntur rationes illae, quae de actu temperantiae infusae possent convincere; hoc non potest admitti, alias nullus actus supernaturalis quoad substantiam requireretur ad connaturalem receptionem gratiae, quod nullus Catholicorum concedet; ergo nec actus temperantiae infusae est sufficiens dispositio ad connaturalem infusionem gratiae, & augmenti illius.

Ex quo confirmatur secundò: Nam ad connaturalem infusionem gratiae, & augmenti illius non sufficit actus supernaturalis praecise quoad modum: nam sicut gratia est forma nobilissima, & adequate supernaturalis, ita dispositio illius vltima, & connaturalis debet esse adequate supernaturalis, & inter omnes operationes nobilissimae; sed huiusmodi est actus charitatis:

Faxit Deus in suam gloriam; sanctorumque Parentum nostrorum Eliae, Theresiae, & Ioannis cuncta prodire. Iterumque precamur, legentium utilitati exarata proficiant. Siquid autem indefectibilibus Orthodoxi regulis, morumque integritati dissonum, aut minus consonum, errante calamo, scripserimus, ex nunc quam libentissime retractamus.

ergo nullus actus praeter istum potest esse vltima, proxima, & connaturalis dispositio gratiae, & augmenti illius.

209 Ad rationem dubitandi respondetur, concedendo praemissas; & negando consequentiam: Nam aliud est, quòd actus temperantiae infusae sit de condigno meritorius augmenti gratiae; aliud verò quòd sit dispositio physica vltima. Ad primum sufficit condignitas, & valor moralis, qui reperiri potest in actibus cuiusvis virtutis adhuc remissis. Ad secundum verò sicut non sufficit quilibet actus charitatis, sed requiritur aequalis cum gradu gratiae infundendae; ita non sufficit quilibet alius actus, aut intentio illius, sed requiritur actus perfectissimus: quoad substantiam cum aequalitate intentionis.

Ad confirmationem, quae equivocatione laborat, Respondetur, inter dispositiones vltimas alias esse proximas, alias remotas, inter quas datur aliquid, in quo conveniunt; & aliquid, in quo differunt. Conveniunt namque in eo, quòd effectivè proveniunt à gratia, & connectuntur cum ea. Sed differunt in eo, quòd proxima vltima potest disponere sine alia, & omnino necessaria est ad connaturalem infusionem gratiae, & huiusmodi est actus charitatis. Dispositio vltima remota est illa, quae ita connectitur cum gratia, quòd necessario ad illius infusionem supponat aliam connaturaliorem, & proximius determinantem subiectum ad participationem illius: & talis dispositio non est sufficiens ad infusionem, aut augmentum gratiae. Et tales sunt omnes actus virtutum infusarum, excepto actu charitatis, & contritionis, tametsi informetur relatione charitatis. Et si aliquando praedicti actus evadunt informati charitate, quin actus charitatis praecedat, hoc est per accidens, & non supponunt connaturalem infusionem gratiae, nec augmenti illius. Et haec de isto tractatu, & de tota 1. 2. dixisse sufficiat.

INDEX

LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE,

QUAE IN HOC TOMO TERTIO

EXPLICANTUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Genesi.

- Cap. 3. Eritis sicut dij, Tract. 12. disp. 2. num. 157. pag. 96.
 3. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus, sciens bonum, & malum. tract. 12. disp. 2. num. 157.
 3. Praecepit nobis Deus, ne comederemus. tract. 12. disp. 2. n. 159. pag. 98.
 3. Quia audisti vocem vxoris tuae, & comedisti &c. tract. 12. disp. 2. n. 158. pag. 97.
 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. tract. 14. disp. 2. n. 50. pag. 452.
 8. Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. tract. 12. disp. 1. n. 40. pag. 14.

Ex Exodo.

- Cap. 32. Percussit Dominus populum pro reatu vitali. tract. 12. disp. 3. num. 3. pagin. 108.

Ex Deuteronomio.

- Cap. 21. Et auferetur ab eis reatus sanguinis. tract. 12. disp. 4. n. 3. pag. 108.

Ex Iosue.

- Cap. 22. An parum vobis est, quòd peccastis in Beelphegor, & vsque in hanc diem macula huius sceleris &c. tract. 12. disp. 3. num. 40. pag. 120.

Ex 1. Regum.

- Cap. 7. Preparare corda vestra Domino. tract. 13. disp. 1. num. 114. pag. 210.

Ex Tobia.

- Cap. 4. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. tract. 12. disp. 2. num. 157. pag. 96.

Ex Esther.

- Cap. 13. Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, nec est qui possit tuae resistere voluntati. tract. 13. disp. 3. num. 50. pagin. 311.

Ex Iobi.

- Cap. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum femine? non ne tu, qui solus es. tract. 14. disp. 1. n. 51. pag. 386.

24. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. tract. 13. disp. 2. n. 106. pag. 280.

Tom. III.

41. Quis revelabit faciem indumenti eius? tract. 12. in proemio. pag. 1.

Ex Psalmis.

- Psalm. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. tract. 12. disp. 3. num. 117. pag. 352.
 11. Dirupisti vincula mea Domine &c. tract. 14. disp. 1. n. 1. pag. 359.
 31. Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum &c. tract. 14. disp. 1. n. 2. pag. 359.
 33. Divertere à malo, & fac bonum &c. tract. 12. disp. 1. n. 87. pag. 25. & tract. 14. disp. 2. num. 24. pag. 439.
 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. tract. 12. disp. 2. n. 97. pag. 68.
 50. Cor mandum creata in me Deus &c. tract. 13. disp. 2. n. 100. pag. 276.
 68. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. tract. 12. disp. 3. n. 13. pag. 111.
 70. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. tract. 14. disp. 2. n. 137. pag. 493.
 118. In custodiendis illis retributio multa. tract. 14. disp. 2. n. 17. pag. 437.

Ex Proverbij.

- Cap. 4. Iustorum sententia quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. tract. 14. disp. 2. n. 148. pag. 498.
 8. Ego diligentes me diligo. tract. 13. disp. 2. n. 29. pag. 251. & n. 58. pag. 256.
 10. Univerfa delicta operit charitas. tract. 14. disp. 1. n. 31. pag. 376.
 16. Homini est preparare animam. tract. 13. disp. 1. n. 114. pag. 210.
 20. Quis potest dicere: mundum est cor meum? tract. 13. disp. 2. num. 105. pag. 279.
 24. Septies enim cadit iustus. tract. 13. disp. 1. n. 92. pag. 200.

Ex Ecclesiaste.

- Cap. 9. Mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem. tract. 14. disp. 2. n. 29. pag. 441.

9. Nescit homo, vtrum amore; an odio dignus sit? tract. 13. disp. 2. num. 105. pag. 279.

11. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquil-

XXX

104